





1738.

12. Heinoccius, Dr. Gall: De dominio, subditos suos in  
junctio suo convenientibus.

13<sup>o</sup> et 14<sup>o</sup> Heinoccius, Dr. Gall: De locatione conductione  
juri dictiorum 2 Exempl.

15<sup>o</sup> et 16<sup>o</sup> Heinoccius, Dr. Gall: De causa sorbitum perpetua  
2 Exempl. 1738 et 1756

15<sup>o</sup> et 16<sup>o</sup> Heinoccius, Dr. Gall: De jure principis circa ciuitatum studia  
2 Exempl.

16<sup>o</sup> et 17<sup>o</sup> Heinoccius, Dr. Gall: De jure principis circa commercio  
rum liberae mercantiarum 2 Exempl.

17. Heinoccius, Dr. Gall: De venditione illicta fractuum  
in herbis.

18. Hoffmann, Fridericus: De cordice cascariace ejusque  
injurious in medicina virtutibus.

19. Hoffmann, Fridericus: Il seorbabiura origine, in sole  
at curatione

1738

20. Triclerus, James: *Re purpura alba maligna et benigna  
sive chronicā.*

21. Triclerus, James: *Exempla plethorae demonstratibus: quod bonis  
humoribus bonus purpure sit practicus.*

22. Triclerus, James: *De humorum spissitudine, nullorum vero  
bonum causa.*

23. Koenring, Johann Heinrich: *Si methodo Tonberiana adnotatur  
di lithotomiam*

24. Pape, Gorpon: *Methesis philosophiae filia, non mater.*

25. Pape, Gorpon: *De abrogato et abrogante*

26. Rommann, August Elias: *De exceptionibus iuriis gentium  
in negotiis pacis.*

27. Schalze, Johann Hinrich: *Einführung. Schrift zu einem  
Colloquio privato über die Marit. Wissenschaft und Re-  
cht darum zu erläutern welche Freiheiten der  
König hat.*

1738

28<sup>a</sup> Schultze, Joannes Henricus : De lithia et diuertis que  
dentro reui magis infesta

28<sup>b</sup> Schultze, Joannes Henricus : De medicophysico.

29. Sommerey, Fridericus : Syren lora ejusque curatio obre-  
vallostantis ac canalis debitis ornata

her.







DE  
SOS

IMPATRATIS IVNIDICA INSTITUTI  
PRAESIDE  
D. GOTTL HEINECCIO, &c.

POTENTISS BEVER REG. A CONSIL SANCTIORIBVS  
ET PROF EVEL ORDINARIO,

PRO M CNTIA  
MMOS IN STADTVE I RE RONDRIS  
ET P M VNGV CNTIA  
A. D. 1610.

PARA CORSA

PARA CORSA  
PARA CORSA





*Q. D. B. V.*

DE

*1735  
6. 19  
12*

# SCORBVTI VERA ORIGINE INDOLE AC CVRATIONE

P R A E S I D E

DN. D. FRIDERICO HOFFMANNO

SACR. MAI. REG. BORVSS. CONSILIARIO AVLICO  
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

SOLENNI MORE OBTINENDO

*H. L. Q. C.*

D. SEPTEMBER. M. DCC. XXXVIII.

PVBLINE DISPVTABIT


IOANNES MARTINVS STRVVIVS

SANGERHVSANO THVRINGVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS JOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.





§. I.

**S**corbuti nomen tam late nostris temporibus patet ad-  
eoque familiare est, vt quæuis fere chronica passio,  
si qua ipsi impuritas iungitur, scorbutica adpelletur;  
hinc nihil in praxi medica est solennius, nihil visita-  
tius, quam vt cachexia, arthritis, dispncea, paralyfis,  
erysipelas, colica, atrophia, rheumatismus, purpura alieque  
plures huius generis adfectiones inter scorbuticas numeren-  
tur. Quid? quod mos adeo inualuit, vt hodie medici im-  
peritiores, si quando ex certis signis neque morbum nec  
causam eius rite possunt cognoscere, statim scorbutum præ-  
tendant, & pro causa scorbuticam acrimoniam accusent.  
Deinceps non raro accidit, vt adfectus quidam sepe plane  
singularis, cui portentosa spastico - conuulsiva iunguntur  
symptomata, in artis exercitio occurrat, & tum visu recep-  
tum est, vt illum vel ad fascinum, vel ad malum scorbuti-  
cum reiificant. Horum sententia plane aduersantur alii no-  
stro tempore non adeo incelebres medici, qui hunc mor-  
bum, quem scorbutum nominamus, vel plane negant, vel  
tantum pro exacerbatione mali hypochondriaci & hysterici  
vendant; qua in re tamen, vti ex infra dicendis elucescat;  
admodum falluntur.

A 2

§. II.

## §. II.

Scorbutus propriæ sic dicitur est prauus vniuersi corporis habitus, locis septentrionalibus & maritimis valde familiaris, omnes corporis partes, maxime externas grauitate adstringens, a summa sanguinis & succi nutritiæ corruptione proficisciens, curationis admodum difficultis.

## §. III.

Hic affectus, qui grauibus admodumque variis symptomatibus est stipatus, in partibus præcipue externis suam manifestat indolem; nam si imminet, lassitudo spontanea totum corpus occupat, & crurum pedumque grauitas cum mouendi impotentia subsequitur. Deinde color faciei a naturali rubidine recedit, ichor cum sanguine mixtus ex gingivis fluit, quarum carnem relaxat & ad dentium usque radices consumit, ut illorum utrobique vacillatio fiat: in cruribus porro emergunt maculae, diversæ figuræ, magnitudinis ac coloris, quæ sèpius in ulcera mali moris desinunt: incremente malo dolores laciniantes, vagi vel fixi cum mouendi quadam impotentia vel conuulsiva strictura, artus inuadere solent.

## §. IV.

Veteribus etiam hunc morbum non plane fuisse inconnitum, haud obscure ex HIPPOCRATE elucet qui lib. de internis affectibus §. 34. nostrum affectum sub splenis morbo describit, quo laborantes haec pati dicuntur: *venter inflatur, postea spleen intumescit & durus est, & dolores acuti in splenem incidunt, color faciei mutatur & fit niger, pallidus, malicorii speciem referens, gingivæ male olent, a dentibus discedunt & ex tibii ulcera erumpunt, velut pustule nocturnæ, membra insuper attenuantur & stercus non fecedit.* Idem PLINIUS in histor. nat. lib. XXV. cap. 3. perbelle confirmat, perhibens: *quod in Germani Caesariæ exercitu circa Rhenum & viuis & medicati fornis aquæ potu vi male-*

## INDOLE AC CVRATIONE.

5

*malefica confusuratae duo noui exierint morbi, quorum alter putridum oris male olenis vitium, quod σομακάνη adpellabant, quo intra biennium omnes dentes decidebant, alter qui nervos crurum adeo oblaedebat, ut compagines in genibus dissoluerentur & crura vellicaret, quod ob id σκελοτύφη a cruribus adpellarunt.*

## §. V.

Vt vero eo clarius peculiaris huius morbi genius innotescat, consultum nobis visum est, integrum huius luis historiam cum omnibus graibus symptomatisbus prætexere, ita quidem, vt iuxta singulas partes, quas dirus hic morbus occupare grauiterque adfligere solet, progredientes, de abdomen initium dicendi faciamus. De ventriculi quidem grauitate & dolore non adeo frequenter ægri concurruntur, aliquando tamen naæfa, vomitu & cardialgia adficiuntur. Appetitus in quibusdam valde est deieetus, in aliis præter naturam auctus. Contrarium autem valet de siti, siquidem appetitus humidi fere nullus est: ructus frequenter emergunt acidi, amari, nidorosi & foetidi cum impetu saepè erumpentes: in ventriculo & intestinis rugitus & murmura frequentius sentiuntur: alius est multis valde laxa, aliis contra valde adstricta, ita, vt feces nimis aridae vix possint emitte: in quibusdam podex quasi introrsum trahitur, vt nihil commode, vel tantum cum molimine maximo immitti possit. Præterea in abdomen valde notabiles sunt dolores, qui vocantur colici, longe tamen aliter, quam vulgares comparati: sunt enim lancinantes, acutissimi, intolerabiles fere, vt parum absit, quin manum sibi affecti inferant; & ab his doloribus hic morbus etiam Scharbock nominatur. Neque tunc adest, vt in aliis doloribus, tumor ventris a flatibus distenti, sed introrsum potius rapitur umbilicus, vt pugna manus in cavitatem imponi possit, diuque durat nec medicamentis vel fomentis

A 3

facile

facile cedit, idque tandem peculiare habet, ut frequenter  
in paralyxin definat.

## §. VI.

Iam progradimur ad ea, quæ in pectore præter na-  
turæ ordinem se offerunt, inter quæ occurrit ægra spirandi  
facultas, quæ frequentius oritur vel exacerbatur sub nimio  
corporis motu. Hanc persæpe comitatur anxietas, quam  
sub diaphragmate, in medio hypochondriorum spatio, vbi  
cartilago ensiformis situm habet, ægri percipiunt, & quæ  
ipsoſ non niſi erectos respirare finit. Facilis autem ex hoc  
adfectu lapsus est ad hydropem, subsequente prius erurum  
& dein abdominis tumore, præfertim si vehementiora ea-  
que draſtica purgantia fuerint adhibita. Præter respirandi  
difficultatem in thorace dexter lateris nunc sinistri nunc  
dextri, modo versuſ dorsum, modo versuſ sternum & ipſo  
in sterno percipitur, qui tamen non debet confundi cum  
pleuritide vera, vbi dolor eſt continuuſ & punctioniuſ cum  
febre, tuſſi continua & ſputo colorato; quod minus ob-  
ſeruatur in pleuritide scorbutica, vbi dolor quidem eſt acu-  
tissimus, non vero continuuſ, ſed per interualla rediens:  
neque adeſt febris neque ſitiſ, nec diſſicilis extra dolorem  
ſpiratio vrget. Præter hæc pulsus paruſ & inaequalis, pla-  
ne contrarius eſt illi, qui in vera pleuritide occurrit: tuſſi  
aliquando nulla vel non adeo moleſta eſt, ſique adeſt, non  
tam vitio thoracis, quam potius a materia in glandulas  
faucium deſtillante euuenit. Reſte itaque hoc malum pleu-  
ritis ſpuria scorbutica adpellari potest, facileque a vero pleu-  
ritidis morbo diſtinguitur, quod diutius quam ille inha-  
ret. Deinceps palpitatio cordis non infreqüens scorbuti-  
cis malum eſt. Accedunt quoque ſepiuſ pectoris angustiæ &  
animi defectiones, quas ægri, dum a lecto ſurgere conan-  
tar, præter omnem fere externam cauſam patiuntur: in eo ta-  
men

## INDOLE AC CVRATIONE.

7

men hæc mentis deliquia ab aliis videntur recedere, quod pulsus sub ipsis maior fortiorque obseruetur, qui in aliis contra paruis & interceptis micat istibus. Præterea in thorace, quia œlophagus ibi situs est, aliud adhuc symptomata incidit: conqueruntur enim frequenter ægri scorbutici, totam gulum eorum esse obstructam, hærere ibi aliquid instar pali, quod remoraretur, quo minus solida vel liquida adsumta possint transcendere, vt inde, si quidquam deglutiendum sit, in suffocationis versentur periculo.

### §. VII.

Misso thorace progredimur nunc ad collum, fauces, ipsumque caput, vbi iterum varia occurunt symptomata, & primo quidem saliuatio, quæ valde frequens scorbuticorum symptomata est. Dein gingivæ in hoc malo valde laborent, quæ inter initia sunt tumidae & vel leuiter contrectatae sanguinem fundunt ferousum: saepe etiam caro ibi luxurians copiose ex crescit, cui tandem foetor accedit molestissimus. Sub gingivis ita male adfectis dentes in suis alveolis vacillare incipiunt, ita nonnunquam, vt eximi possint. Dolor quoque dentium frequens adest, & ille quidem prætermannifestam causam, in eo tamen ab alia differt odontalgia, quod subito recedat facileque recurrat. Capitis dolores saepe adsunt immanes, vt plurimum vagi, raro fixi, quæ suas circa vesperam potissimum habent periodos, sed oborto noctu sudore definunt. Vertigo quoque & scotomiae aliquando eveniunt, somnolentia per interualla incidunt: cum contra alii vigiliis torqueantur & per plures septimanas vigilantes non debilitantur, vti febricitantibus accidit. Sollet etiam aliquando grauis tristitia, aliquando plane delirium sine causa accedere, in eo vero a ceteris deliriis diffrerre, vt plane inordinate & præter iustas causas inuidat.

### §. VIII.

## §. VIII.

Facto nunc transitu ad partes externas, conuulsiones, dolores, ac spasmos in iis obuenientes consideramus. Conuulsiones sunt frequentes ad popliteum, aliquando etiam talos trahunt, & hinc inde immanes sunt contradictiones, quæ etiam non raro in articulis permanent. In Germania inferiori dicunt, die Krübel Krankheit, quem adfetum egregie descripsit GREGORIVS HORSTIVS. Frequenter etiam contingunt paralyses, præsertim in cruribus, post graues intestinorum spasmos; vbi stupor præcedens imminentis mali initium est: differunt vero ab ordinaria paralysi, quæ sensim fit & diu durat, omnemque motum tollit, scorbutica vero subito accedit, subitoque recedit, motum adhuc ex parte relinquens, præsertim si in lecto adfici se contineant. Porro ingens lassitudo omnes artus citra manifestam causam occupat: conqueruntur etiam scorbutici nonnulli de dolore vermiculari, quem ita exprimunt, (Als wenn was lebendiges darinnen wäre) aliquando obtusus tensius dolor, ipsas osium medullas occupat, qui osteocopus adpellari solet. Alii atrocissimos experiunt dolores pungentes, lancinantes, non secus ac si pars ab altera diuelleretur. Vagi plerumque sunt hi dolores & nunc ex alia parte in aliam se transferunt, sed mox iterum derelinquent; vnde etiam arthritidis vagæ nomen habent: aliquando fixum locum videntur figere in pectore, vbi pleuritidis metus.

## §. IX.

In cruribus potissimum dolores oboriuntur, circa talos etiam & plantas pedum: aliquando in digitorum extremitis, in coxendice, genu, dorso, lumbis & nucha, & differunt in eo ab arthritide vera, quia non circa articulos tantum, sed etiam in carne circa membranas vagantur.

Pr-

Præterea obseruantur copiosi sudores, in primis noctu molesti & consumentes, (dicunt **der schwindende Scharbock**) sanguinis quoque profusiones aliquando ex naribus contingunt & difficulter fistuntur. Maculae præter hæc oriuntur, quæ nunc maiores, nunc minores, culicum morsibus similes, præcipue rubicundæ, deinde purpureæ & sublividæ, tandem nigrae evadunt. Maiores interdum integrum tibiam implent, late se extendentes, frequenter quoque in cruribus, collo & pectore apparent, euanescunt autem modo, modo iterum erumpunt. Aliquando etiam tumores & tubercula in corporis partibus oboruntur, pedes cœdematosus tumor occupat, sunt quoque exulcerationes hac ratione: primo pars admodum dolet, deinde abscedit cuticula, non aliter, ac si feruente aqua pars effetsupersufsa, profluat serum & tunc intensissime pars dolet; sed vix vñquam verum pus ibi notatur, alias etiam vlcera profunda obseruantur sicca, quæ nullum pus vel saniem fundunt & facile in gangrænam abeunt. Gangrænae etiam frequentes sunt scorbuticis, potissimum in pedum digitis, quæ in eo ab aliis differunt, quod sine causa manifesta & inflammatione inuadant lenteque serpent & tarde iugulent. Hæc præcipua ac potissima sunt scorbuti signa & hoc morbo adfictorum symptomata, quæ quidem non in omnibus similiter & omnia obseruantur, sed in nonnullis horum adsunt plura in aliis pauciora, in aliis maiora & iterum in aliis mitiora, longius vel breuius tempus durantia.

## §. X.

Postquam igitur integrum & completam affectus nostri historiam cum omnibus fere & singulis, quæ complicari solent, symptomatis recensuimus, proximum nunc est, vt paulo exquisitius dispiciamus, a quibus causis tam proxima, quam remotioribus, tanquama fonte, atrox hic morbus

B

bus cum prauis suis effectibus proueniat atque promanet; idque maxime hanc ob rationem, quia tam præservationis quam curationis momentum, veris morbi causis cognitis, vnicce innititur. Nos vero diri istius morbi continentem & proximam causam in summa succorum vitalium impuritate, vitæque & sanitati infensissima corruptione, iam supra in definitione reposuimus; attamen cum minus adhuc determinatum sit, in quonam labes illa potissimum consistat, vel quomodo oriatur, prauamque indolem suam exferat, opera erit pretium, vt hoc ipsum accuratori disquisitione eruamus.

### §. XI.

Rectam corporis nostri valetudinem, siue functionum eius tam naturalium quam vitalium & animalium integratem a laudabili humorum vitalium, sanguinis, succi lymphatici, nutriti & neruorum fluidi temperie, mixtione ac crasi eorumque libero & æquabili in omnes corporis partes influxu & circuitu dependere, res in physiologicis certa est & extra omnem dubitationem posita. Verum enim vero, quum debita fluidorum temperies ac puritas in eo vnicce consistat, vt partes fluidum constituentes subtiliores, mobiliores, aquæ aereo æthereæ, elasticæ, blande sulphureæ, & mucida debita proportione inter se mixtæ & vnitæ sint; crassiores vero, glutinosiores & terrestres varique generis salinæ, tartareæ, alcalino-sulphureæ siue biliosæ & superflue aquosæ per congrua, a prouida natura constituta colatoria & emunctoria, vt fere sunt perspirabilis cutis, hepar, renes, intestina, tunicae glandulosæ fauciun, nasi & bronchiorum, rite eliminantur; iudicatu est facillimum, tum fluidorum vitalium impuritatem, siue Graecorum loquendi idiomate, cacochymiam oriri, quando particulæ terrestres, tenaces, sulphureæ atque saline in corpor-

## INDOLE AC CVRATIONE.

corpore intus retentæ præ subtilioribus, dulcibus ac temperatis predominium obtinent. Hic autem scire omnino expedit, impuram humorum diathesin, quæ nostrum affectum sustentat, non vnius eiusdemque esse generis, sed pro diuersa partium heterogenearum, maximeque salino-sulphurearum indole ac differenti corporis natura permultum differre, admodumque varia inducere symptomata. Vnde etiam auctores permoti statuunt, inter scorbutum a causa frigida, qui a tale acido fixo, & calida, qui a volatili sulphureo acri nascitur, multum interesse discriminis, atque hoc ipsum, ceu præcipuum momentum in curatione rite peragenda attendere suadent. Nec sine ratione: differt enim pro subiectorum causarumque antecedentium diuersitate ipsa impuritas, quæ in nonnullis ad tantum euehit gradum, vt in putridam plane corruptionem, vita ac latitati infensissimam vergat atque degeneret.

### §. XII.

Salsam, acrem atque rodentem scorbuticorum humorum dyscrasiam, variis in variis partibus excitati dolores, spasmæ, conuulsiones, pruritus, erosiones ac exulcerationes satis abundeque testatum faciunt; putrida vero corruptio & vappidus humorum status vel eo ipso satis evincitur, quia scorbutus per contagium sepe propagatur, & affectiones omnes, quæ contagio inficiunt, putridas exhalationes pro causa & fundamento agnoscunt, quæ altius in intima partium penetrando, infar semini seu fermenti reliquos humores iam dispositos inquinant & in suam convertunt naturam. Vnde non mirum esse debet, quod a solo factore cadauerum, scorbuto extinctorum ortum huius mali annotauerit SENNERTVS cap. I. & IV. de scorbuto, & fonticas exhalationum scorbuticarum noxas graphicè depinxerit GASPARVS HOFFMANNVS de febribus cap. LVII. Si quis, inquit,

B 2

flatim

## DE SCORBVTI VERA ORIGINE

*Statim a morbo extinctus fuerit, nihil periculi subest, sed postquam putredo cadaveris succedere solet, procul hinc abesse debent sodales, nisi eadem velint labe contaminari.* Et quid multa? quum ingens illa, quæ sponte oritur lassitudo, artuum languor ac impotentia, magnavirium ad lipothymiam usque prostratio, pulsus arteriarum debiles ac languidi, pessimi sudoris & vrina fœtores, & tam facilis tamque prompta partium extremarum sine prægressa externi violentiae causa, sphacelatio, satis clare ac manifeste summam sanguinis, succi nutritii ipsiusque neruosi corruptelam patefaciunt.

## §. XIII.

Verum enim vero, ad genuinam symptomatum scorbuticis inhærentium causam explicandam, non deprauata solum planeque aliena humorum indoles sufficit, sed aliud adhuc momentum, videlicet destructa principii fluidi cum solido in sanguine mixtio requiritur, sicut ex pluribus cum scorbuto coniunctis phænomenis non obscure licet colligere. Maxime vero omnium hanc fluidi a solido eoque grauiori elemento separationem inter alia satis docere posunt fluxiones sanguinis aquosæ, quæ per nares, gingiuas vel aluum contingere solent, neque minus quod in partibus extremis, ut facie, labiis ac cruribus, vñorum oscula nonnunquam se aperiant, & sanguineum laticem fundant. His demum accedunt saliuaciones, vrinæ & sudores copiosi, scorbuticis frequentissimi, qui nimiam feri a sanguine crassiori secessionem similiter abunde declarant; cum contra dolores vagi ac inconstantes ex vna in alteram partem transeuntes, insignem feri impuri tenuitatem & subtilem acrimoniam produnt; siquidem tenuis & acris humor ex vasculis sepositus, a parte ad partem facilime ac celeriter transfertur, quod quidem præcipue in arthritide vaga scorbutica evenire deprehendimus, quo etiam præcordiorum angustiæ,

spas-

spasmodicæ orificiorum ventriculi & diaphragmatis constrictiones, dolores intestinorum lancingantes, & similes in pectori sequentes, qui pleuritidis spuriae nomine veniunt, & denique pruritus & exulcerationes iure debent referri. Lentorem denique & crassitatem humoris scorbutici, ex tumoribus, doloribus fixis, artuum lassitudine, horrore, stupore animaduertere licet: & abhinc etiam palpitationes cordis, syncopes, carus & lethargus, pulsus debilis & parvus, triftitia, melancholia, polypose concretiones, maioribus pulmonum & cordis vasis inhærentes, adfectiones paralyticæ, incrementum subitum corporis, hepatis & lienis magnitudo, vt & tubercula in variis partibus &c. sunt deriuanda.

## §. XIV.

Præterea destructam solidi cum fluido in sanguinis massa mixtionem intimam, quæ ad circuitum per minima vasæ & viscera summe necessaria est, sanguis per venam incisam emissus, qui vt plurimum grumosus, niger, grauis ac crassus est, supernatante insimul copiosa aqua mali odoris & faporis, ad sensum demonstrat. Vidimus non raro e pedibus sanguinem in aquam immissum breui tempore in fibroſa concrementa compactum, in aliis in patina collectum non ita multo post crasso tenacissimo glutine fuisse obductum. In quibusdam vero loco sanguinis crassi valde tenuem, coccinei coloris & acris faporis portionem, nulla crassiore substantia fundum petente relicta, effluxisse, non sine admiratione confpeximus.

## §. XV.

His ita, quæ mali nostri cauſam concernunt, clare expositis, non immerito in quæſtionem venit, quænam potissimum viscera in nostro morbo sint adfecta & quæ præcipua mali fedes sit habenda. Verum enim vero, quum hac de re auctores in diuerſas abeant ſententias, expendendum

dum videtur, quæ ex his veritati magis congruat, quæ minus. Veteres quidem, inter quos HIPPOCRATES agmen dicit, liensem maxime, vt pote succi melancholici & atrabilarii sedem accusabant, sed accuratiori recentiorum per anatomen inquisitione constat, non tam in liene, quam potius in hepate sedem huius mali esse constituendam. Ita SENNERTVS lib. III. med. praf. Seſt. II. cap. 2. in cadavere scorbuto extinti aperto, omentum fere totum putridum & corruptum, in liene vero nihil quod tantum ad sensum culpari possit, deprehendit. FORESTVS lib. XX. obſtru. ſchol. 2. in quodam Hollandiae Præſide magis hepar, quam liensem adfectum fuiffe, diligenter annotauit. Sic etiam REVSNERVVS exercit. IV. de scorbuto, viri cuiusdam hepar corruptum, calloſum & ad depurationem ſanguinis ineptum vidit, liensem vero magnitudine & colore cum hepate fano certantem. Imo HORSTIVS Tr. de scorbuto Seſt. II. §. 8. scorbuticum quendam vidisse commemorat, cui iecur totum interius atque exterius ſcrrhosum erat, nec quicquam vasorum vel ſanguinis exhibebat, lien vero triplo maior, quam ſecundum naturam eſſe ſolet, optimeque ſanus conſpiciebatur, parenchyma iecoris colore ſat rubeo nec non ſubſtantia carnoſa referens. Et WILLISIVS poſt plurium scorbuticorum cadaverum diſectionem multoties obſeruauit: hepar aut cÿſtidem felleam fuiffe in culpa. Inuenit enim in non nullis hepar proſrus exſangue & inſtar vberis vaccini exſucum, in aliis veficam biliariam proſrus vacuam & inanem, in aliis lapidibus obſitam, in aliis amurca maxime amareſcen- te repletam, lienem vero optime validum ac ſanum.

## §. XVI.

Si noſtram hac de re ſententiā interponere licet, non dubitamus adſerere, omnia viſcera & emunctoria, quæ fluidorum depurationi inferiunt, labē quadam ac vitio eſſe adfecta, dum

dum a lentiori sanguinis progressu, minima eorum vascula ac meatus perfacile nimium infaciuntur, a viscida amurca obstruuntur, & demum plane indurantur. Speciatim vero vniuersale illud ac solenne vniuersi corporis emunctorium, cutis, per quod tenues excrementii succi exhalant, non sine ratione maximam pati labem videtur; neque viscera in abdome sita sanguinea, ad quae vena portæ pertingit, vt hepar, lien, mesenterium, omentum &c. ab omni labe & culpa sunt immunia, eo quod hepar partibus impuris, salmis, sulphureis & in alcalinam naturam vergentibus, secerendis dicatum est; lien vero ad intimam fluidi cum solido mixtionem præcipuum confert momentum; quare harum functionum lesio in primis in scorbuto attenditur. Ceterum hic probe notari velim, obseruationibus anatomico practicis non penitus esse fidendum, quia rarissime scorbutici ex solo hoc morbo demortui, sed quando hic iam in hydropem, atrophiam, hepticam, morbum nigrum, vel sphacelum internum degenerauit, lethumque induxit, cultro anatomico subiiciuntur.

## §. XVII.

Quod vero noster affectus tam diuturnus ac contumax sit, vt appropriatis etiam & validioribus praesidiis valde resistat, id mea quidem sententia inde deducendum est, quod digestionis & chylificationis officina, sub qua ventriculum cum intestinis intelligimus, non recte habeat, sed valde laesa sit. Sicut enim a succi menstrui, salialis, gastrici, & pancreatici temperie leniterque spirituosa indole, & sufficienti eius influxu, intima alimentorum dissolutio & succi boni, subdulcis, chylosi, præparatio & extractio vnicce pendet; ita per impuritatem sanguinis vitiati solubiles illi succi dum a temperata indole plane deflectunt, non nisi crudum, viscidum & acidum chylum producunt, qui ad sanguinem accedens

cedens eius intemperiem ac impuritatem magis intendit,  
auget, prauoque fomento sustentat.

§. XVIII.

Hactenus mali scorbutici eiusque symptomatum, continentem & proximam causam veramque sedem, & quomodo vires vbique diffundat, perspeximus; proximum nunac est, vt, vnde cause hæ morbi internæ suam nanciscantur originem, inuestigemus, idque optime fieri confido, quando ad causas istas externas, non naturales a medicis appellatas, quibus quotidie ad vitam opus habemus, animum mentemque aduertamus. Ita primo omnium nos docet experientia, scorbuticum malum quam maxime certis regionibus & populis, præsertim septentrionalibus & maritimis, vt Cymbriis, Norwegis, Seelandis, Frisiis, Ditmarsis, Belgis, Suecis, esse proprium ac valde familiare, cuius rei causa in catholico isto seu vniuersali fluido aereo-æthereo est querenda, quod exhalationibus impuris, putridis, salis, nimiumque aqueis refertum, via sua elistica & expansiua, a qua vigor, tonus & robur solidorum eorumque vis motrix systaltica dependet, multum priuatur. Quapropter etiam in aliis climatibus, ad meridiem vergentibus, loca lacustria, viginosa, humilia, vbi facile inundationes & aquarum delapsum non habentium stagnationes contingunt, ad progignendum eundem morbum sunt aptissima; certe non aliam ob causam, quam quod aer multis exhalationibus humidisque vaporibus repletus, fibras motrices valde relaxando, humorum circuitum cum naturalibus se & excretionibus valde retardat atque imminuat.

§. XIX.

Sicut vero secundum HIPPOCRATIS effatum lib. de flatibus non ab aere solum, sed ab ingestis etiam morbi proveniunt

ueniunt; ita experientia edocti cognoscimus, victum in primis durum & salsum, qui ex carnibus taurinis, porcini & annosiorum animantium compactioribus, multoque sale conditis & fumo induratis, neque minus ex piscibus, praesertim maritimis exsiccatis & salitis constat, variisque gentibus mari & septentrioni proximis, familiaris est, ad nostrum morbum plurimum conferre momenti. Quo etiam legumina crassioris texturæ, in locis praesertim humidioribus & viginosis progerminata, panis grossior, durus, & exsecali, tempore pluvio collecto, confectus, item qui situm contraxit, iure debent referri. Ex potulentis aquæ crudæ, durae, graues, salsa & stagnantes, ad quotidianum potum usurpatæ, vel si cereuisiæ ex ipsis coctæ, lupulo non bene conditæ, vel acidæ & fæculentæ redditæ fuerunt, nostro malo ingenerando, plurimum velificantur; hæc omnia tamen longe maiori sunt nocumento, si vita iners, defes omnis que fere laboris & exercitationis expers coniungitur. Sic enim vitalis fluidorum circuitus & abhinc pendentes se- & excretiones valde retardantur, sanguinique crasfities & spissitudo inducitur; unde etiam fieri obseruamus, ut feminæ præ viris, urbani præ rusticis, eruditæ præ plebeiis, qui labbris fatigati prauos humores in corpore accumulatos, per transpirationem expellunt, magis ad hanc luem sint dispositi.

## §. XX.

Maxime vero omnium ad corrumpendam sanguinis massam, motusque œconomiæ corporis nostri peruerendos, & excretiones naturales, quæ per cutim, aluum & vrinam fiunt, supprimendos, consuetæ sanguinis excretiones in feminis per menses, in viris per haemorrhoides imminutæ, magnam in nostro affectu obtinent potentiam. Huc quoque pertinent mulieres steriles cum illis, quibus

C

quibus menstrua sponte propter aetatem subsistunt, & omnes, qui consuetas fanguinis missiones, sive scarificando, sive venam incidendo, olim suscep[t]as, penitus omittunt; siquidem inde humores in corpore valde cunulati, libere per omnia vasa circulare nequeunt, sed hinc inde stagnantes, impuritatem contrahunt, vnde scorbuti origo. Quantum vero suppressae fanguinis excretiones, ad scorbutum conferunt, tantum e contrario nimia, qua per nares, vterum, haemorrhoides & in pueris per lochia contingunt sanguinei laticis profusiones, testibus probatissimis SALOMONE ALBERTI, EVGALENO & WILLISIO, ad genesis nostri mali contribuunt. Nimia enim fanguinis iactura perinde ac nimia eius abundantia, humorum stagnationi & corruptioni ansam præbet largissimam.

### §. XXI.

Ratione aetatis vel maxime huic morbo obnoxii sunt senes; quippe morbi plerumque ipsis familiares, multum cum scorbuto conuentientie alunt, ideo quod ex impura, salina & viscida sanguinis & humorum crassi suam mutuantur originem. Neque hoc dijudicatu est difficile; siquidem sub inuaescente aetate, minima vasa, per quæ potissimum sordium inutilium excretiones fiunt, & non modo partes nutritiuntur, sed lympha quoque cum sanguine miscetur, arescere, coartari & angustari incipiunt; vnde suo perfungi munere nequeunt, totaque sanguinis massa successu temporis impura debet reddi.

### §. XXII.

Insuper ad classem caufarum remotarum maxime ea, quæ vires minuendo ac depauperando, motus vitales se- & excretorios imminuunt, referri debent. Sunt autem praesertim hoc in numero graues animi, per anxiam curam, tristitiam & miserorem diuturnum, inductæ perturbationes. Sic

## INDOLE AC CVRATIONE.

19

Sic EVGALENVS *Tr. de scorbuto p. 3. obs. XV.* constanter prædicere ausus est, eos facile omnes, quos cum crassiōri viētus ratione diuturnior mœror exercuit, ad scorbuticum malum esse proclives. Cui adsentitur WILLISIVS, qui nonnullos, fortuito timore percusso, scorbuticos euafisse obseruauit. Magnam enim hæc animi pathemata obtinent potentiam in solidorum robore infringendo & sanguinis circuitu, qui inde pendet, remorando; vnde humores tardius circumacti, spissi, ad traiiciendum minima vascula inepti & tandem impuri euadunt; vnde facillimus ad scorbutum transitus.

## §. XXIII.

Vti vero nimium otium, quod supra demonstrauimus, ita etiam si excessus in motu committitur, vt vel nimis violenter instituatur, vel diutius iusto continuetur, dāmno esse solet. Tali enim ratione, purissima ac subtilissima succi sanguinei, nutriti & neruosi pars dissipatur & exauritur, vt facilius postea alienam & corruptam indolem, prefertim accessu contagii, induere possint. Reprobandus vero quam maxime est, intempestiuus & intensior corporis a pastu motus, quo videlicet succus chylosus nondum satis recte digestus, in sanguinem nimis cito rapitur, vnde omnia facile mala, quæ a digestione male peracta, crudoque & rudi chylo prouenire, supra innuimus, certo certius propullulant. Sapienter itaque GALENVS lib. II. de sanitate tuenda cap. 2. præcipit: non debet, cum administratur exercitum, crudi incœlique cibi aut succi multitudo vel in ventriculo vel in vasis contineri, vnde periculum sit, ne prius, quam per maturam coctionem vitis sit, in omnes animales partes rapiatur.

## §. XXIV.

Nihil præterea facilius, nihil promptius ad scorbutum disponit, quam vbi morbus aliquis non ita diu prægressus,

C 2

quam-

quamcunque labem vel minimum sui vestigium, siue sanguini & succo alimentari, siue alicui ex visceribus præcipuis impressum reliquit; hinc nihil in arte est frequentius, quam quod febribus tam continuis quam intermittentibus, maxime inopportune suppressis, vel si ægri adhuc debiles statim alimentis se obruunt, scorbutus a tergo succedat. Ratio in proclivi est: sufficienit vitales per febrile incendium subtiliori & sulphurea sui parte, debitaque spiritu ascentia orbati, ægre suum circuitum absoluunt; vnde miasma a pristino morbo relictum facile scorbuticam contrahit indolem. Ut multas hac de re obseruationes, que omnes morborum in producendo scorbuto potentiam confirmant, silentio prætereamus, commemorare tantum hoc loco placet consensum, quem hypochondriaci adfectio cum scorbuto habere solet; siquidem hic illam fæpissime aut comitatur aut excipit; vnde medicorum quidam decepti, nullam inter utrumque morbum differentiam admittere voluerunt.

### §. XXV.

Genus quoque vitæ interdum huic malo causam præbet antecedentem. Sic maxime nautas eodem corripi obseruamus, qui longis & diuturnis nauigationibus detenti non nisi humido aere circumdantur, simulque crasso, falso ac duro victu se nimis onerant. Morbus noster deinceps etiam non raro est castrensis, - qua de re exstat insignis locus apud OLAVM MAGNVM lib. de regionibus septentrionalibus XVI. cap. 51. qui huic transscribi meretur: *ex cibis, inquit, piscibus, carne, sale & suffitu maceratis, esculentis frigidis & crudis, ac pane non probe pisto, morbus ille horrendus castrensis & a vulgo Scherbock datus incrudefecit, quo fauces & gingivæ putrescant, ventriculus diris cruciatibus torquetur, dentes stupent & vacillant. HOECHSTETTERVS pariter obs. med. decad. VII. cas. X. p. 162. de scorbuto tanquam*

tanquam militari morbo in media Germania parte olim  
grassato, longam recenset obseruationem, cuius præcipua  
momenta hoc allegare lubet: Postquam Rex Sueciae anno  
1634. vrbem imperialem Augustam Vindelicorum armis suis  
subiecerat, milites in ciuium ædes locati febrem militarem  
ardentem malignam cum delirio & perechiis iunctam, qua  
etiam milites cæfarei laborarunt, in vrbem intulerunt, vt  
ingens inde multitudo succubuerit. Hoc vero morbo circa  
brumam remittente, plurimi ciuium de lassitudine, grauita-  
te & ambulandi impotentia conquerebantur: neque pote-  
rant stare erecti ob crura rigida, dura, & dolorosa, quibus-  
dam intumescentia, quibusdam contabescentia. Qui siccio-  
ris naturæ erant, illis tendines, nerui ac musculi crurum  
sursum trahebantur, vt flecti non possent, interdum cum  
acuto dolore, interdum sine eo: quidam in lecto cuban-  
tes se volvunt, non tamen pedes extendere valebant. Plu-  
rimi ex his, circa finem hiemis 1634. algidum, fatis cesserunt.  
In plurimis ea erat pedum infirmitas, vt iisdem inniti non  
possent, licet aliquem in lecto motum habuerint. Macu-  
lae autem omnibus fere fuerant communes, que multifaria-  
rum coloratæ primo instar lentium rubræ, dein cœruleæ,  
tandem liuidæ in artubus apparebant, tanta interdum lati-  
tudine, vt maximam cruris partem occuparent. Iunioribus  
gingiuæ laxo ac flaccido luxuriabant tumore, quo fortius  
tacto ac fricato sanguis niger ac foetoris effluuebat simulque  
foetor oris ac masticationis defectus aderat. Leucophleg-  
matia, ascites, tympanites, atrophia, diarrœa, icterus  
accedens mortem inferebat, aerem siccum ægrotantes non  
bene ferre poterant, propter sanguinis ebullitionem, hinc  
etiam nimius motus ipsis fuit noxius.

## §. XXVI.

Proposita iam mali scorbutici historia eiusque signis & causis in liquidum deductis, facilissimum erit, hunc morbum ab aliis, quibuscum ratione symptomatum & impuræ dyscrasie multum habet commercii, ad euitandam confusionem, distinguere. Evidem probe scio, plures & ante nos fuisse, & nostra adhuc ætate esse medicos, qui scorbutum eundem esse morbum perhibent, quem HIPPOCRATES libr. de intern. adfæct. nomine ilei cruenti descripsit; si quidem in hoc adfectu, perinde ac in scorbuto, ingens ex ore fœtor exhalat, gingivæ a dentibus abscedunt, sanguis e naribus manat, imo vleera quandoque ex cruribus pullulant, horumque alia sanescunt, alia grauiora fiunt; at vero, quum de maculis, quibus se hodie intuentium oculis scorbutus repræsentat, altum apud HIPPOCRATEM sit silentium, & ipse quoque, volvulo cruento laborantes, ad ambulandum ac laborandum promtos expeditosque esse dixerit: cum tamen in scorbuticis languor, grauitas, frigus & crudrum ad mouendum impotentia adsit, vix possum induci, quin ita sentientibus fidem adiungam. Sunt dein nonnulli, qui scorbutum ad icterum nigrum referunt, quia in hoc os fœtet, gingivæ exeduntur, multumque sanguinis stilant, vlcera ægris cicatricem sumunt, & in ægris quoque ad laborem tarditas, languor & difficillima sanatio obseruantur. Vtut vero non negandum sit, quod ambo hi morbi ob summam humorum corruptionem insignem habeant conuenientiam, in eo tamen videtur quædam intercedere differentia, quod in ictero nigro, secus ac in scorbuto, color faciei totiusque corporis niger appareat, stercora porracea fecendant, saporis amarities adsit, nullaque febris, nullaque contagii vis obseruetur. Cuidemum accedit, quod in ictero hepar potissimum adfectum sit; cum contra in scor-

scorbuto eadem fere in omnibus visceribus labes delitescat, maximeque sistema neruofarum partium, spasmis & doloribus lancinantibus pessime affligatur; quod tamen in iecto minus contingit.

## §. XXVII.

Facile porro a malo hypochondriaco & melancholico scorbutus distinguitur, licet non raro iunctus cum ipso prodreat. Evidem in dicto affectu ob tonum viscerum destructum & tardiorem sanguinis spissioris circuitum impuritas quedam & humorum corruptio adest, neque minus ex ita humorum dolores & spasmis visuntur; ast massa sanguinea non tam putrida est & corrupta, nec tam multis & acribus salibus imbuta: unde etiam non modo contagii vis deficit, sed & maculae, vlcera putrida, gingiuæ relaxatae & sanguinolentæ, summa corporis ac artuum lassitudo, imo virium ad lipothymiam usque defectio, seu consueta scorbuticorum symptomata, plane defunt. Denique lues scorbutica ratione corruptionis, que solidas & que ac fluidas partes exedit, ob maculas quoque, dolores & vlcera imo ob contagii virus multum cum venerea habet affinitatis; nihilominus tamen permultum interest, ut vtrumque affectum probe discernamus, quia alioquin in praxin damnum redundat grauissimum. Probe itaque tenendum arbitror, huem venereum non nisi contagio nasci, scorbutum vero ex aeris, aquarum & diætae vitio, rerumque non naturallium abusu oriri & inde certis regionibus certisque climatis esse proprium. Porro scorbutus gingiuas magis occupat dentesque reddit cariosos, lues autem venerea magis tonsillis, vuulæ, naribus, ossibusque palati, exulceratione & erosione est infesta. Vrina scorbuticorum est crassa, colorata, salibus lixiuosis, sulphureis turgida, in lue autem venerea minus est colorata, turbida cum limoso sedimento,

## DE SCORBUTI VERA ORIGINE

mento. Tandem in scorbuto spasmi & dolores magis sunt vagi, in lue venerea magis fixi, ossibus inherentes, qui tamen noctu sub lecto ingrauescunt.

## §. XXVIII.

Cum nullo vero morbo noster adfectus plus habet adfinitatis, quam cum purpura rubra chronica, quæ febris vt plurimum expers adeoque hodie familiaris est, vt etiam *ταλαιπωρία* scorbutica appelletur, maxime, cum pariter ac ipse scorbutus non exiguum humorum impuritatem pro causa & fundamento agnoscat. In eo tamen a scorbuto differt, quod in hac pustula, semen milii amplitudine æquantes numerosissimæ cum corrugatione, asperitudine & ariditate cutis, intercurrente, præsertim inter initia, horripilatione, pruritu, astu & pectoris quadam angustia, efflorescant, quæ peculiarem fœtorem cum largo sanguis sudore spargunt; quale quid vero in scorbuticis ita annotare non licet. Deinceps nullum aliud exanthema, in primis in sensibilioris naturæ hominibus, tam instabile est, quam purpuraceum, utpote quod mox compareret, mox iterum retrocedit, nihil sepe incommodi nisi aliquam pectoris oppressionem fauciūque raucedinem relinquens, quæ tamen symptomata regimine conuenienti adhibito facile iterum remittunt.

## §. XXIX.

Inter morbos cum scorbuto multum similitudinis habentes, iure quoque numerari debet cachexia, quæ a nostri æui medicis plerumque scorbutica appellari solet. At vero, quo patefat, quantum hos morbos intercedat discriminis, scire licet, cachexiam neque contagio propagari, neque populariter grassari, nec gingivis adeo esse infensam, nec denique maculis corpus deturpare; quæ omnia tamen in vero scorbuto tantum fere non semper contingunt. Imodem ipsa causa materialis in scorbuto aliter est comparata,

rata, quam in cachexia: in hac enim seri magis tenuis,  
quam glutinosi & acris delinquit copia; vnde etiam exter-  
num corporis habitum valde relaxatum, flaccidum & tumi-  
dum obleruamus.

## §. XXX.

Constituta sic nostri morbi ab aliis sibi cognatis diffe-  
rentia; sequitur iam, vt indicemus, quomodo de eius  
euentu & curatione firmum & prudens ferre iudicium pos-  
simus. Et primo quidem in genere notare licet, scorbutum  
ex iis esse adfectionibus, quæ nec subito ægrum inua-  
dunt, nec subito eum deserunt, sed testudineo quasi gradu  
procedentes, ad mitigationem æque ac curationem multo  
tempore exactaque vietus ratione opus habent. Vnde et-  
iam fit, vt noster adfectus, si vel leuis error committitur,  
facile recrudescat, præsentim si a parentibus, hæreditario quasi  
iure, ad liberos descendit, & tum raro etiam tollitur radici-  
tus. Idem quoque contingit, si inueteratum est malum, si  
corpus senile, vel a prægressis morbis valde debilitatum  
& exhaustum, inuadit; tunc enim sensim ad hydropem,  
atrophiam, paralysin, conuulsiones, carum, lethargum,  
apoplexiā, sphacelationem extermorum, aliaque lethalia  
mala viam sternit. Aliter contra res se habet, si malum est  
incipiens, ætas iuuenilis, habitus corporis strictor, & origo  
eius a contagio: tum quippe curatu est facilius, maxime,  
si eius fomes per menses, hæmorrhoides aut diarrhoeam  
criticam subtrahatur. Facilius quoque sanationem recipit,  
si locus mutatur & ex infalubribus maritimis, septentriona-  
libus, ad meridionales plagas fit transitus. Porro quando  
hypochondriaci, cachectici & gonorrhœæ virulentæ impli-  
citi, in symptomata incident scorbutica, cura quidem dif-  
ficillima, sed non pro summe desperata habenda est.

D

§. XXXI.

## §. XXXI.

Res notatu perquam digna est, quod, licet homines in regionibus septentrionalibus valde sint robusti; nihil tam minus ex hoc morbo laborantes ægrius conualescant. Cuius rei rationem adferre videtur aphorismus HIPPOCRATIS (XXX.) a SPONIO allegatus, qui hic est; *quibus corpus male transpirat, illi robustiores sunt, & minus ægrotant; si vero ægrotant, difficilius restituuntur.* Etenim in populis regiones septentrionales inhabitantibus, quorum cutis a nimio frigore crassa, densa & constricta est, portio sanguinis subtillior & spirituosa, que vires sustinet, retinetur, nec tam copiose & liberaliter exhalat: quandocunque vero hi homines ægrotant, difficilius a morbis, qui per transpirationem fari debent, ob cutem valde densam & constrictam, conualescent.

## §. XXXII.

In specie vero notandum est, quod tumores, in partibus subito erumpentes & breui evanescentes, saepius incident paralysin; ventris vero tormina & continua circa umbilicum contorsiones, vel sphacelationem intestinorum & subitam mortem in senibus, vel tympanites post se trahant. Maculae, quo magis ad colorem nigrum vergunt, eo peioris sunt indolis, siue in vlera abeunt, difficillimæ fiunt curationis, vt potius in corruptionem sphacelosam sepiissime desinant. Pessimum quoque est, si gingivæ & adiacentes partes exulceratae carnem ad ossa absument & abscessum in mandibula formant.

## §. XXXIII.

Morbi, qui ex scorbutica humorum dyscrasia proueniunt, vt fere sunt paralysis, purpura chronica, cachexia &c. facile reciduant, ita quidem, vt nunc singulis annis, nunc ex longiori interuallo, pro victus ratione, pro regimine aliisque

## INDOLE AC CVRATIONE.

27

que circumstantiis recrudescent; & si demum ipsis visceribus, vel partibus neruosis labes est impressa, haec non tam facile tollitur: humor enim scorbuticus, qui fermenti ac feminii naturam emulatur, sanguinique & succo nutritio profundiis inhæret, ægerrime expellitur.

## §. XXXIV.

Interdum ab imperitoribus medicis tumores, vlcera, pustulæ & maculæ per topica, quæ poros subcutaneos obstruendo, liberam transpirationem impediunt, & vitiosam materiam ad partes neruosas repellunt, pessimo more tractantur. Quod vero si accidit, in sensiblioribus subiectis cardialgiæ syncopticae, præcordiorum angustiæ cum respiratione difficillima, ventris tortuosa, conuulsiones epileptica concitantur ipsaque vlcera deteriora & incurabilia fiunt; quæ mala igitur iure debent caueri.

## §. XXXV.

Vlterius quoque notatu perquam dignum est, quod ordinario & hypochondriaci & scorbutici rarius pristinæ sanitati restituuntur; idque maxime hanc observationem, quia rarius medicis obediunt regulisque diæteticis ægrius se submittunt, sed per medicamenta cito curari cupiunt; unde fit, vt subinde ab uno remedio ad aliud, ab uno medico ad alterum transeuntes malum ipsi deterius reddant, præsertim si natura remediis adsueta, medicamentorum, vel etiam optimorum virtutem eludit. Huic accedit, quod perpauci sint medici, qui rebelles hos morbos congruis remediis, convenienti ordine, methodo, & dosi adhibendis, recte tractare didicerunt. Plerumque enim heroica adhibent medicamina; cum tamen instar regulæ generalioris scire liceat, scorbutum, inter chronicos facile grauissimum, non validis & fortotibus, sed lenissimis & simplicissimis tractandum esse remediis.

D 2

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Hactenus de scorbuti origine, indole & euentu satis videmus differuisse, nostrum nunc erit ostendere, qua ratione atrox hic morbus commode possit auerti tutoque sanari. Sicut autem duplex hic scopus in nullo facile morbo obtinetur, nisi ad arcendas & tollendas eius causas tam proximas quam remotas omnem intentionem omnemque remediiorum energiam dirigimus: ita quoque vix melior scorbutum tum præferuandi tum curandi datur methodus, quam quæ remouendis eius causis est dicata. Hæ ipse vero quum in peruerso rerum non naturalium, maximeque aeris vñu, vnicے sint querendæ; siquidem nemo vñquam, nisi ab aliis sit infectus, scorbuto laborat, qui non graues in diæta vitaque regimine errores commisit: per se patet, ante omnia diætam rite esse instituendam, si causas scorbuti subtrahere velimus. Quod autem vt recte perficiatur, regulas nonnullas diæteticas præscribere ex vñu erit.

## §. XXXVII.

Maxime omnium habenda est ratio, vt qui ad scorbutum dispositi, vel eodem iam adfecti sunt, aerem, in quo morbus prognascitur aut fouetur, permutent, quod fieri potest, si a locis insalubribus, vbi aeris fluidum impurum, vappidum, minusque elasticum & prauis exhalationibus repletum est, secedendo ad salubriora se conferant. Spectat huc aphorismus omni encomio dignissimus HIPPOCRATIS Lib. VI. epidem. expressus & a SPONIO pag. 278. citatus, vbi regionis mutatio in omnibus fere morbis longis vtilissima dicitur. Et experientia quoque insignem hanc vtilitatem adhuc magis confirmat, qua cognoscimus, quod ii omnes, qui in locis ad scorbutum ingenerandum aptis nati & diuitiis educati fuerunt, longe melius se habeant, si mutata priori statione, loca salubriora, quæ aerem vehunt purum,

sub-

subtilem & magis temperatum, inhabitant. Neque facile hac in re accuratiores videoes obseruatores, quam Italos, qui pro valetudine tuenda aliud aestate, aliud autumno, aliud hieme, domicilium sibi eligunt. Sed Germani, & inter hos ipsi etiam principes, de aeris puritate parum solliciti, saepe ex locis salubribus in insalubria concedunt, ibique diu morantes morbosam corporis dispositionem sibi contrahunt. Cuique igitur scorbutico iure commendari debent loci aerisque mutationes, seu itinera ex regionibus septentrionalibus in meridionales, maximeque Italiam, Galliam &c. suscipienda. Quod si vero peregrinandi & locorum impunitatem euitandi commoda deest occasio, arte aeris fluidum est emendandum, quod ligno iuniperi in camino combusto vel suffumigio succini, carbonibus ignitis iniecti, optime potest perfici.

## §. XXXVIII.

Quoad viatum in primis vitentur cibi difficilioris concoctionis duri, ut sunt carnes annosiores, infumatae, falsae & quæ rancorem contraxerunt, pisces marini exsiccati atque illi cibi, qui austerae & adstringentis sunt facultatis. Fugiant quoque scorbutici carnes pinguiores & quæ ad putredinem inclinant, itemque dulcia, quæ pro diuersitate succorum in primis viis stabulantur vel aescunt, vel lentorem contra-  
hant, viscerumque infarctus augent. Alia tamen ratio est cum passulis minoribus, quæ ob blandam cum subtili acidu dulcedinem laxant, emolliunt & acrimoniam humorum temperant. Si quid vero præ omnibus reliquis magnam meretur commendationem, certe est accommodata a pleniori vietu abstinentia, seu levior inedia, in subiectis voracioribus; ideo quod non raro nimia ciborum ingluuies secunda huius morbi est nutricula.

D 3

§. XXXIX.

## §. XXXIX.

Ex potulentis ad nostri morbi genesin præsertim aquæ graues, stagnantes, facile putrefcentes, turbidae conferunt; quare aquæ potius puræ, leues, nec falsoidine, nec calcareo terrestri elemento imbutæ, in quibus facile cibi coquuntur, ad potum debent eligi & ex his cereuisiæ coqui. Dici enim vix potest, quantum in locis septentrionem spectantibus noceant cereuisiæ, ex insalubribus aquis confectæ neque satis coctæ, nec lupulo satis conditæ, quæ, dum facile acepscent & faculenta euadunt, per minimos viscerum & excretoriorum meatus difficulter transeunt, magnamque insuper flatuum copiam ingenerant. Vina quoque aufera, quæ multum acidi in recessu souent, omni modo vitare oportet; contra vero fragrantia & subtili spiritu animata, moderate sumta, insignem merentur commendationem. Splendent autem hac in primis virtute vinum Hungaricum genuinum & minus adulteratum, item vinum Rhenanum bona nota vetustum, quod adhuc maioris fit efficaciam, si absynthii, cochleariæ, & enulæ essentia vel extracto imprægnatum cum moderamine interdum bibatur.

## §. XL.

Præterea omnia, quæ vires imminuunt sanguinisque progressum tardiorum ac debiliorem efficiunt, ut fere sunt nimia vigiliae, profundæ meditationes, intempestivæ studiorum causa suscepitæ lucubrations, nimia veneris exercitia, & crebrior ebrietas, inque primis immoderati animi affectus, ut diuturnior tristitia ac metus, cane peius & angue sunt fugienda. At vero, quoniam simul nimium otium seu deses sine labore vita, nimiusque somnus, experientia teste, permultum affectus nostri genesi patrocinantur, certe nec efficacius, nec certius ad eundem tam præseruandum quam curandum existat remedium, præter sufficientem motum

motum corporisque exercitationem. Etenim, quum continua cordis systole & reciproca diaphragmatis ac thoracis actio, qua mediante simul circulus sanguinis per viscera abdominis egregie promouetur, vnicce vitalem fluidorum & solidorum motum sustentat ac moderatur; hunc vero corporis exercitatio, sub qua, motu muscularum aucto, contenta in ipsis fluida propelluntur, mirum quantum adiuuat: non iniquum facturus sum, si corporis motum vniuersale illud remedium appello, quod naturalem fluidorum mixtionem & solidorum structuram conseruat, sanguinis & humorum cursum promouet, purum ab impuro separat, adeoque omnis generis morbos, ipsumque scorbutum arcet. Consentientem hac in re habemus HIPPOCRATEM, qui lib. II, de dietâ, hæc prodidit: *otium humedat & corpus debilitat, labor vero feciat & corpus roborat.* Cuius aphorismi ratio per se sati liquida est & nostram de motus in scorbuto utilitatem contentiam non parum confirmat. Nam ab otio omnino tardior fit sanguinis circuitus; vnde humidum superfluum non sufficierenter per excretoria eliminatum, fibrosas nerueasque partes relaxat: cum e contrario a labore nimia humiditates dissipantur; quibus expulsis tensio solidorum increvit, maiusque corpori robur accedit.

## §. XLI.

Et hæc sunt præcipua in vita virtusque regimine tenuenda momenta, quibus iam alia remedia, ex pharmaceutico fonte desumpta subiungere placet, quæ causis mali scorbutici tam proximis quam mediatis remouendis accommodata hucusque deprehendimus. Iam vero in superioribus abunde satis euictum est, seua illa, quæ scorbutum comitari solent, symptomata, ab ingenti sanguinis dyscrasia sordiumque recrementiarum in sanguine & reliquis suctis vitalibus accumulatione; hanc vero a tardiori sanguinis circulo

circulo & vasorum capillarium in visceribus & emunctoriis infarctu vel obstructione dependere. Quapropter appropriata huic malo tollendo remedia eo debent dirigi, vt humores impuros falsos, acres, sulphureos diluant ac temperent, tenaces, viscidos dissoluant; occlusos viscerum & co-latoriorum meatus referent, totumque partium nero-sarum ac musculofarum systema valde debilitatum corroborent. Tali enim ratione liberior & expeditior fluidorum per omnes partes minutissimosque canales circuitus, & abhinc pendens intima fluidi cum solido mixtio obtinetur quam optime.

### §. XLII.

Summa humorum dyscrasia a medicis, qui data opera de scorbuto scripsere, duplieis esse generis statuitur; cuius altera in praedominio principii salino-acidi, viscidi, coagulatiui & terrestris fixi, altera in principii peregrini alcalini & salini acris volatilis luperabundantia consistit. Illam scorbuti causam frigidam, temperamentu maxime melancolico propriam esse dicunt; hanc vero causam scorbuti calidam appellant, & potissimum personis cholericō - biliosa complexione præditis adsignant. Alii acrimoniam valde causticam, ex salis volatili sulphurei cum acido combinatione in cholericis præcipue enatam accusant eandemque rebellium exulcerationum & corrosionum materiam existere perhibent. Singuli tamen in eo conueniunt, vt pro saliedinis morbosæ diuersitate diuersi quoque generis medicamenta alterantia & temperantia, quæ partim acido immutando, partim sali volatili sulphureo contemperando & causticæ acrimoniæ demulcendæ inferuant, præscribenda existiment. Quantumuis vero allegatam salium differentiam lubenter largiar, valde tamen ridicula mihi videtur tam diuerla & anxie excogitata eorundem correctio: siquidem

dem demonstratum dabo, tantum vnicam, eamque tutissimam & experientiae magis conformem esse methodum salia cicurandi, quæ per sola conuenientia fluida obtinetur; vt pote hæc cuicunque sali temperando & corrigendo respondent abundeque sufficiunt.

## §. XLIII.

Hac autem virtute in primis splendet aqua simplex, leuis & pura, quæ genuinum salium dissoluens ac menstruum iure dici meretur, in quam, si debito cum regimine debita que quantitate adsumitur, particule cuiuscunq[ue] generis salinæ, promte ac facile se immergunt, vt inde sanguis per belle cluatur. Sed præter temperantem, qua pollet aqua, virtutem, adhuc aliam in malo scorbutico exerit efficaciam, dum tenacium viscidorumque humorum coagulum dissoluit, atque exilia vasa & colatoria ab impacta viscida materia infarcta & obstructa liberat. Longe tamen præstantior hæc aquæ attributa facultas esse deprehenditur, si quando aquæ pure, leues ac subtiliores insuper adhuc principio quodam vel spiritu minerali & conuenienti salis alcalini volatilis, vel fixi copia sunt imprægnatae, vt de varii generis acidulis vel thermis, & nominatim quidem de famigeratissimis Selteranis, Wildungenibus, Antonianis &c. hic usque obseruare licuit. Hæc enim communia aqua multo actiuiores expeditius per exilissimos canalium alveos traiiciuntur, colatoria promptius subeunt, ideoque in obstructionibus reserandis sordibusque excrementitiis eliminandis excellentiore præstant energiam. Quæcum ita sint, nullus dubito adserere, in fontibus foteriis vniuersaliter scorbuticæ affectionis præsidium esse constituendum, maxime cum longa & constans illustris HOFFMANNI Senioris experientia me in hac sententia adhuc magis confirmat; vt pote qui iam per tringinta & plures annos non modo ad pertinaces

E

naces

naces chronicas, maximeque hypochondricas & hystericas passiones, cum scorbutica quadam impuritate iunctas perfanandas, verum etiam ad scorbutum iam confirmatum enellendum, mineralibus aquis tam frigidis quam calidis summo cum ægrotantium emolumento vñus est. Longe tamen certior ac præstantior subsequitur effectus, si harum aquarum virtus accuratiore vite viñtusque regimine, & appropriatis medicamentis scorbuticis ac balsamicis adiuuatur, imo aliquoties talis curatio repetitur.

#### §. XLV.

Quandocunque vero copia, locus & occasio fontibus his medicatis vtendi deficit, sola aqua fontana, puriori & leuiori, cura nostri affectus feliciter poterit institui. Magna enim in refractariis morbis debellandis aquarum est efficacia, si modo sint puriores & subtili, martialis prolapse, elemento imbutæ; id quod cum primis felicissimæ & scorbuti & aliorum rebellium morborum per fontem Lauchstdiensem, quotannis institutæ curationes luculenter possunt ostendere. Continent hæ aquæ subtiliorem martis crocum, quo tonus fibrarum motricium vniuersi corporis relaxatus egregie robatur, & hac ratione sanguinis pervnuersum corpus eiusque minima vascula circuitus vna cum salutaribus excretionibus egregie promouetur; idque tanto magis, quod non tantum interne, sed etiam externe hæ aquæ adhibentur. Vnde simil edocemur quod antiqui ævi medici, & inter hos potissimum CELSVS lib. II. cap. IX. & SCRIBONIVS LARGVS cap. XXXII. ad lienes magnos & effectus, qui inde oriuntur, coercendos, potum aquæ, in qua candens ferrum subinde extinctum fuerit, non sine ratione & effectu tantopere commendauerint.

#### §. LXV.

At vero præter aquas minerales in corrigenda scorbutica

tica acrimonia se instar summi gerit remedii lac animantium & præcipue asininum, quod etiam antiquissimi medicinae antistites, HIPPOCRATES, GALENV, ARETAEV, CELSVS, in suis scriptis ad varias chronicas maximeque ab acrimonia oriundas passiones vincendas miris encomiis extulerunt ac laudarunt. Neque desunt ex recentioribus peritissimi medici, qui idem confirmant, & in scorbutica lue lac præcipue asininum, vel serum lactis bubuli aut caprini, seu tunnic specificum & appropriatum remedium commendant. Qua de re DRAWITZIVS, BALTHAS. BVRNNE-  
RVS, EVGALENV, WIERVS, SALOM. ALBERTI, MATTH.  
MARTINI, qui perite de hoc nostro affectu scripserunt,  
legi possunt; vt pote qui ad vnum fere omnes candide fa-  
tentur, sola diæta lactea, vel sero lactis cum antiscorbuti-  
cis herbis decocto & diutius usurpatu, se plus in scorbuto  
eiusque symptomatibus mitigandis præstisile, quam omnibus  
fere aliis auxiliorum generibus; imo etiam molestissimo  
hoc malo tabescentes plus virium inde hausisse, quam ex  
optimis roborantibus. Neque huius effectus ratio conceptu  
est difficilis: Sicut enim sœua illa scorbuticorum pathemata,  
vt sunt lacinantes & spastici artuum dolores partiumque ex-  
ternarum erosiones & exulcerationes, non nisi humorum  
summae dyscrasie & negotio excretionum naturalium, quæ  
per cutim, aluum, hepar fiunt, imminuto, neque minus  
obstructioni vasorum originem debent; ita certe ad mea-  
tus occlusos referandos, tenaces humores dissoluendos &  
acres falsos contemplerandos nihil aptius est diluentibus,  
demulcentibus & fluxiles humores ad transpirationem aptos  
reddentibus; inter quæ vtique lac asininum valde dulce ac  
ferosum, vel lactis caprini aut vaccini serum principem  
merentur locum. Quæ omnia si quis rite secum velit per-  
pendere, haud amplius mirabitur, cur in purpura chro-

nica, quæ hodie epidemia est, mitiganda & abigenda, ipsum lac tam excellens sit remedium, quod illustris HOFFMANNVS Senior summo cum fructu plurimis hoc morbo laborantibus commendauit frequentissime, vti ex doctissimis eius dissertationibus, *de mirabili lateti astini vſu, item de saluberrima ſeri latetis virtute*, olim habitis licet cognoscere, vbi simul rectus lacticiniorum vſus fusius exponitur.

### §. XLVI.

Quandocunque vero cum diathesi scorbutica viscerum infarctus & cachexia vel affeſtio hypochondriaca & purpura, quod ſepiſſime fit, iungitur, tunc melius ſuccedit curatio, ſi lac eum aquis mineralibus acidulis, tam mitioribus, vt Selteranis, Wildungenſibus & Teenſteinenſibus, quam etiam fortioribus, vt ſunt Pyrmontanæ, Egranæ, miſcetur & hac ratione ſub debito vita & vietū regimine bibitur, quemadmodum de hac cura ſaluberrima illuſt. HOFFMANNI Senioris diſſertatio, *de connubio aquarum mineralium cum latetis conſerri poteſt*.

### §. XLVII.

Verum enim vero præter hæc recensita auxiliorum genera, coniumenta etiam ſunt ſpecifica ſic dicta antiſcorbutica: in quorum numerum non immerito veniunt cochlearia & omnes naſturtii tam hortenſis quam aquatice species, beccabunga, raphanus ruficanus, rad. armoraciæ, synapi & huius generis alia, quæ ſubtiliſſimo principio ſalino-ſulphureo referta, intima corporis penetrant, & fluidis pariter ac solidis partibus ingentem mutationem inferunt; ſiquidem tenaces viſcoſos humores diſſoluunt, fixos acidos exaltant, ſubtilioresque reddunt, & solidis nimium relaxatis, tonum, vigorem ac motum reſtituendo, vapiferentem corruptionem a corpore arcent. Variae autem ex hiſ ſimpli- bus præparations proſtant & in vſu ſunt. Quidam enim aquas

aquas ex his destillant, quidam spiritus per fermentationem aut abstractionem inde parant. Alii iterum ex recentibus vel madefactis succos exprimunt & debito cum vehiculo, vt est serum lactis, decoctos propinant; alii ipsos cum alimentis miscent & iusculis ac brodiis carnis incoquunt, vel cereuisis in fermentatione adiiciunt, imo etiam cum saccharo conseruas ex iis conficiunt; prout nempe diuersa circumstantiarum ratio requirit, quam iudicatos medicus data occasione debet attendere.

## §. XLVIII.

Sequuntur iam alia magnifica famæ aduersus scorbutum remediorum genera, de quibus iudicium nostrum exponere placet. Atque huius generis sunt ex amaris, maxime radices gentian. cichor., herbæ scord. card. bened. absynth. cent. min. trifol. aquat., ex balsamicis & roborantibus, summitates abietis & pini, cort. winter. cascarill. chinæ, capparum, herbæ scolopend. epithymum, radices enul. zedoar. ari &c. que si vel in substantia, vel melius in infuso & decocto, aut etiam in essentiam vel elixiria redacta, congruo tempore, ordine ac dosi usurpantur, vires ad mitiganda symptomata morbumque debellandum exferunt in fugnes; vtpote principio, quo gaudent actiuo, blande sulphureo, balsamico, circuitum sanguinis depresso excitant, & intemperiem viscidam & acidam quam optime corrigunt.

## §. XLIX.

Hæcce excipiunt alia, quæ in nostro affectu non minus utiliter adhiberi solent remedia. Et hæc eius sunt naturæ ac indolis, vt partim principio blande sulphureo vaporoso, partim emolliente ac temperante virtute spasmis ac doloribus leniendis & sopiendis inferuant: quo nomine a quibusdam auctoribus axungia animantium recentes, præfertim humana, canina, medullæ ossium, tremor lactis,

E 3

sper-

sperma ceti, galbanum, sagapenum, castoreum, aſa fœtida, lumbrici terreftres, rasura dentis hyppopotami, vngulæ alcis &c. mirifice ſolent laudari. Neque horum medicamentorum uſus eſt ſpernendus, ſed omni potius modo, ob laudabilem, quem ſepe preeftant effectum, commendandus, ſi modo cum prudentia & pro diuerſa morbi, corporis agrotantis & temporis ratione uſurpantur.

## §. L.

Diximus haec tenus de ſcorbuti curatione, quatenus per ea remedia, que humores crassos attenuant & incident, acries fallos contemperant, meatus obſtructos aperiunt & relaxatas partes roborant, debet iuſtitui. Iam opera erit pretium, vt etiam de euacuantibus, quorum plane nulla facta eſt mentio, noſtram depromamus ſententiam; idque eo magis, quia ab excretionibus naturalibus, que per aluum, vrinam & transpirationem, per uerum quoque & venas hæmorrhoidales fiunt, imminutis, vel prorūſus ſuppreſis primam noſtri mali originem deriuauimus. Quod primo itaque loco ad ſanguinis miſſionem attinet, que per venarum brachii vel pedis inciſionem, per scarificationem aut hirudinum adpoſitionem perficitur, experientia duce afferimus, ſumma cum cauione & prudentia hoc euacuationis remedium eſſe adminiſtrandum, omnesque circumſtantias probe ponderandas. Si enim ſtatus eſt plethoricus, morbus recens, corpus iuuenile, & in viris a fluxu hæmorrhoidalī, in foeminiſ a menstruali cefante vel ſuppreſo originem ducit, vtique peritus medicus congruis in locis ſanguinem detrahere tuto poterit. Quodſi vero, vt in mali progreſſu ſepe accidit, ſeri magis impuri & corrupti peccat copia, tum certe emiſſio ſanguinis, prefertim in paullo largiori copia iuſtituta, vires, labefactando, plus damni quam emolumenti afferet. Si vero quædam mi-  
nuendi ſanguinis indicatio adefit, & potiſſimum dolores,  
tumo-

tumores variaeque partium defædationes talem depletio-  
nem vrgent, tutissime hæc obtineri poterit, quando læpius,  
sed non adeo copiose, vel rectius adhuc per scarificationem  
sanguis detrahitur: quæ methodus, sicut tutissima est; ita  
nobis in curandis morbis grauioribus admodum semper  
placuit.

## §. LI.

Quod retinet ad alia euacuationum genera & quidem  
purgantia, de his nostra cum aliis peritioribus medicis hæc  
est sententia, quod omnibus validioribus exclusis, lenissi-  
ma tantum in vsum vocare deceat, cuius census sunt rad.  
polypod. fol. sennæ, agaricus, rhabararum, manna &c. quæ  
cum speciebus ante recensitis antiscorbuticis debito modo  
commixta, & per infusum, aut lenem decoctionem usurpa-  
ta, noxios humores ex primis viis blande & per epicrasin  
educendo, opem omnino præstant utilissimam. Idem te-  
nendum arbitror de diureticis, quorum fortiora propter  
nimiam seri euacuationem in cura penitus repudiare oportet;  
seligenda vero sunt, quæ leniter viñidos & tartareos  
humores educunt, quon nomine decoctum rad. V. aperien-  
tium, præsertim petroselini, sellerie, foeniculi, aparagus,  
quæ etiam ab antiquioribus medicis HIPPOCRATE & ARETAEO  
adhibita sunt, commendari merentur. Idem valet de diapho-  
reticis, quorum optima sunt, quæ transpirationis vias ape-  
riunt flexilesque reddunt, & sanguinem ac humores ad su-  
perficiem corporis mouent; reiecit iis, quæ humores for-  
titer commouendo & exagitando per nimium sudorem se-  
rum cum viribus nimis subtrahunt. Commodissima igit-  
ter sunt sic dicta diapnoica, quæ transpirationem leniter pro-  
mouent, cuius generis sunt, infusum herba thee, vero-  
nicæ, cardui bened. scordii, florum sanibuci, antimonium  
diaphoreticum, cerussa antimoniij, C. C. sine igne præp. C. C.  
vsum

vstum, succinum, bezoard. mineral, cinnab. nativa & antimo-  
nii; ex compositis vero puluis Anglicanus, bezoardicus  
HOFFMANNI, LVDOVICI, quibus interdum pro circum-  
stantiarum ratione vnum vel dimidium granum campho-  
ra potest addi.

## §. LII.

His igitur, quæ ad generalem curandi methodum per-  
tinent, expositis, reliquum est, vt specialiorem & certis in-  
diuiduis propriam cum necessariis cautelis subiungamus.  
In scorbuto sic dicto calido, qui sub constitutione choleri-  
ca, diæta vinosa & ætate iuuenili vigens, ingentein particu-  
larum biloſarum & sulphurearum in massa sanguinea abun-  
dantiam supponit, specifica antiscorbutica, sale sulphureo  
volatili turgida, præcipue si spirituosa sint, instar spiritus  
cochleariæ, summa cum cautione offerri debent. Etenim  
quam saluum in sanguine impuro spicula acuendo inque  
concitatiorem motum agitando, symptomatum exacerbationem  
efficiant, capitis artuumque dolores, anxietates  
ac lienis inflationes accersunt, ideoque magis obsunt,  
quam profund. Quidsi vero cum acidis, vt sunt acetosella,  
succus citri, aurantiorum, berberum, granatorum, ad  
temperiem rediguntur, tutius exhiberi possunt. Ita conserua cochleariæ, cum æquali parte conf. acetosæ, pulu-  
ri & lyrupo aurantiorum in eleſtuarium redacta & bis vel  
ter in die, superbibendo aquam antiscorbuticam, adsumta  
egregium præstat effectum, maxime si in calidis & biloſis  
subiectis humectans diaeta, quæ ex laeticiinis, emulsionibus  
amygdalinis, hordei & auenæ decoctis, brodiis gallinarum  
cum laeteca, endiuia, acetosa &c. paratis confitat, simul  
coniungitur, & remedia vesicam & aluum leniter subducen-  
tia interponuntur.

## §. LIII.

## §. LIII.

Non raro ob vegetiorem nonnullorum appetitum, magna crudorum & vilcidorum humorum faburra in primis viis, & in ventriculo potissimum ac duodeno colligitur, quæ ibi stabulando, scorbuticum malum perpetuo fouet & auget. Quodsi igitur ad hanc eliminandam emeticorum est indicatio, lenisima adhibeantur necesse est, quo nomine radicem ipecacuanæ, ad scrupulum vnum vel ultra, cum infuso herbæ Theæ propinandam, commendare luet.

## §. LIV.

Crudeles saepe numero dolores in abdomine fœuiunt, qui minime carminatiuis, vel calidioribus medicamentis debent tractari; sed iuuat tantum liquorem nostrum anodynū, vel elixir antispasmodicum, ex dicto liquore, essentia croci & castorei compositum conuenienti dosi per vices adsumere. Preter hac vero brodia gallinarum cum oleo amygdalarum dulcium adsumta, serum lactis cum radice altheæ & floribus papau. rhœados paratum, decocta auenacea & clysteres emollientes ex lacte, croco & pauxillo castorei confecta, omne absoluunt punctum. Non minori opus est cautione, si, vt saepe fit, spontaneæ adsunt euacuationes e. g. diarrhoeæ; vtpote quæ leniter tractatae magno plerumque sunt leuamini, cum contra præmature cohibitæ anxieties cardialgicas, torninosas hypochondriorum inflations viscerumque infarctus post se relinquant.

## §. LV.

Opiata nonnisi purgantibus, vel alexipharmacis correcta, ad immanes dolores sedundos vigiliasque placandas,

F

exigua

exigua quantitate & tantum bis vel ter exhibere licet, eo potissimum sine, ut vires conseruentur, quas, cestantibus doloribus, æ gri melius recipiunt morboque vincendo sic pares fiunt.

### §. LVI.

Topica in doloribus, exulcerationibus & maculis plus saepe nocent, quam profundunt; quod quidem potissimum animaduertere licet in arthritide vaga, vbi externa sine discrimine applicata, materiam vitiosam ad interiora maximeque neruofas partes repellendo, grauissima saepe symptomata, ut in capite vertiginem, auditus difficultatem, in pectore spirandi angustiam, in stomacho cardialgias, in intestinis leuissima tormenta, imo nonnunquam horrendas artuum conuulsiones, producunt. Praestat itaque a topicis tum penitus abstinere & affectas partes, linteis calidis intulotas in æquali tantum transpiratu seruare. Quodsi tamen nihilo minus ulcera crustosa nigra externam poscunt medelam, imitandus est EVGALENVS, qui prudenter monuit, ut omisiss omnibus acrioribus, leniora solum, quæ ex vitello oui, myrrha, olibano, croco, oleo roscarum, balsamo peruviano &c. parantur, in usum ducamus.

### §. LVII.

Ad gingiuas putridas & sanguinolentas tam depurandas & consolidandas, quam ad dentes vaillantes firmandos, nihil reperi præsentius, balsamo virtæ Illuстр. HOFFMANNI, si huius vna pars cum tribus partibus brodii corticum aurantium, vel pulpe eorum remixta gingiuis illinitur. Hoc autem deficiente essentia succini, myrræ, spiritus vi-

ni

ni camphoratus & spiritus salis dulcis commode possunt subsistui. Lenior quoque scarificatio in tali casu s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> prod<sup>e</sup>t, vt inde materiae intus contentae ichorose paretur exitus. Interne decoctum raphani rusticani ex lacte, vel cerasi cum strobulis pini cocta vsum afferunt desideratisimum.

## §. LVIII.

Quando mitigatis symptomatibus morbus iam inclinare & a ferocia sua videtur remittere, *Mattheus MARTINI Tractatu de morbis mesenterii apprime utilia censet balnea aquæ dulcis pluinalis; quæ diutius, & quidem ex admonitione FERNELII obseruat. 44.* per decendum & ultra continuare iubet. Neque facile reprobare audeo saluberrimum huius viri consilium, præfertim cum de proficuo balneorum in scorbuto vsu certiore me reddit Clarissimi VOLCKAMMERI Senioris obseruatio in Decur. II. ann. VI. M. N. C. reperiunda, vbi vir hypochondriaco scorbuticus balneo ex aqua dulci, cum herbis emollientibus decocta parato, manequ & vesperi adhibito, post triduum ad se rediisse & vires receperisse dicitur. Aquæ vero balnei, grauisime fœtenti-innatauit faburra nigricans crassa cum acredine, quæ indies maiora sumvit incrementa.

## §. LIX.

Ego vero hoc vniue tantum habeo, quod circa vsum balneorum tam naturalium, quam artificialium moneam, ne primo vñquam adhibeantur, si iam putrida quædam humorum corruptio in partibus externis conspicitur; dein ne iusto calidiora sint & corpus ad multum sudorem disponant.

44 DE SCORBVTI VERA ORIG. INDOLE &c.

Sequuntur enim exinde presso quasi pede summa artuum fassitudo, sitis intensa, cordis palpitationes & cephalalgiae; quibus si quis per potum frigidorem aliaque refrigerantia succurrere velit, periculum est, ne tonus ventriculi & intestinorum mirifice inde destruatur.

§. LX.

Multi scorbuto detenti, scribit MARTINI loc. cit. durante curationis tempore, parum vel modicum tantum sentiunt emolumenti, dimisfis vero medicis & medicamentis, sanantur: natura enim ex medela debilis reddita, recuperatis post curationem viribus, ad morbum vincendum magis valet. Quod quidem monitum suo iam tempore antiquiores medici probe agnouerunt & ceu utilissimum in variis morbis tollendis commendarunt; vnde AETIVS lib. II. serm. 2. cap. III. & RHASES per tres interdum septimanas a medicina abstinentium suadent, ARETAEVIS vero, cedentibus medicis, multos morbos sanari adserit. Quam insigne obseruationem ego ipse saepius in multis chronicis affectionibus, praesertim vero in hypochondriaco & scorbutico malo depellendo certissimam deprehendi. Valet enim & semper valebit elegantissimum CELSI disterium: optima interdum medicina est, medicamento non vix.

F I N I S.

IO.

# IO. MARTINO STRUVVIO

ARTIS SALVTARIS PERITISSIMO CANDIDATO,  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT

IOAN. PETR. DE LVDEWIG,  
FRIDERICIANAE CANCELLARIUS.

**P**oetas nasci, uulgi sermone dicimus. Quidni etiam medicos nasci, tuo exemplo tueamur nunc? Patre ARCHIATRO eoque *palatino* natus es; neque degenerasti. A prima statim pueritia tua procluis ad pharmacorum discenda nomina & intelligendam uim. Neque enim, in taberna, quam pater tuus instructissimam habet, otiosus spectator uel puellus egisti; sed animum ostendisti propensisimum, ad iatralipticam atque salutarem artem colegendam olim. Adolescens prima eius posuisti tirocinia domi, a patre institutus & adsuefactus, morbos curandi, methodo. Inde Academias, aetate & scientia maturus, salutasti LIPSIENSEM, IENENSEM atque nostram demum FRIDERICIANAM. In quibus philosophiam naturalem maxime & mechanicas experimentis corroboratam cum MEDICINA coniunxit, sororio utique uinculo: ut olim par esses in vtriusque scientiae facultate, aut quod idem est, cognitam haberes MEDICINAM RATIONALEM uere. Ipsum huius me elogii testem habes. Cum enim incidisse in febriculam, musis tamen meis molestam satis, iniuxeresque tu aegrotantem; tam scite periteque de *morbi causis* eventisque iudicasti; ut te MEDICVM NATVM FACTVMQVE, post reualalentiam, quam recte diuinaueras, omnino queam salutare. Habet igitur PATER tuus, mihi, CHRISTIANO Saxoniae duc superftite, nullo non officiorum genere cognitus; quod sibi de filio gratuletur, uirtutis & artis paternae dignissimo olim herede. Scripsi in Fridericiana die vi. mensis Septembr. CC IO CC XXXVIII.

DOCTISSIMO ATQVE CLARISSIMO  
DN. CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

ACADEMIAE ET FACULTATIS MEDICAE SENIOR.


Diuinam esse medendi scientiam omniumque artium  
præstantissimam, nemo facile in dubium reuocabit. Sed quo nobilior est, quo ad vitam & sanitatem tuendam aptior, eo miserior est eius exercitatio & vita medicorum ratio. Nam quando ægrotantibus est male, ipsis etiam medicis est male, eo quod perpetua se cura, meditatione & sollicitudine debent fatigare, si dei suæ commissos serio velint iuuare & ex orci faucibus eripere. Imo ne noctu quidem a laborum molestiis sunt immunes, sed non raro adcurrentes ægrotantium nuntii somnum querelis suis interrumpunt, vt ideo medicus omnium horarum homo recte sit dicendus. Accedit, quod pessimas ægrotantium exhalationes debeat inspirare, aut si absentes visitandi ægros necessitas postulat, omnibus aeris iniuriis se exponere. Quandocunque vero ex naturæ

præ

præ morbi vehementia succubentis culpa votis non repondet exitus, nil nisi peruersa & malitiosa iudicia non a vulgo solum, sed etiam a viris, in non mediocri dignitate constitutis sunt preferenda. Misera quoque in eo est mendacium vita, quod, si in exercitio artis versantur, multa idiotarum & indoctorum, temere medicinam facientium iniurias & malitiosas insidias sustinere debeant, adeo ut non raro leuisimæ conditionis homines vel clanculum lateri ipsorum adiungantur. Id quod potissimum fieri deprehendimus in aulis principum, vbi propter communem consulentiū multitudinem plerumque de fama medicus periclitatur. Misera quoque res est post exantatos omnes labores, turpissimum ingrati animi vitium & fraudulentas circumuentiones experiri. Quæ omnia, si rite perpenduntur, ita sunt comparata, ut facile possint quempiam a fallacerrimæ huius scientiæ studio vel exercitio absterrere. At vero bona scientiæ ratio, hominum a Deo tantopere inunctus amor, atque etiam in diuina hac scientia se ulteriorius perficiendi ardor, & quod Christus ipse hanc artem exercuerit omnesque miseras gratia & auxilio compensare promiserit, contrarium plane suadent. Evidem, CLARISSIME CANDIDATE, nonominor infelicem in praxi futura successum, quando praestantem Tuam in re medica eruditionem & bonos, quibus instructus es, mores intueor. Recete enim de medico prodidit HIPPOCRATES: *ad opinionem & auctoritatem conducti medici, bonis & honestis moribus praeditum esse.* Nam cum talis fuerit, ab omnibus venerandus iudicabitur. Nihilominus perfacile praeudio, Te neque ab iniuria, neque a peruersis iudicis, neque a malitiosis aliorum insidiis fore immunem. Ad quæcumque igitur fortiter

ter & æquo animo toleranda & præsidium diuinum, &  
circumspectionem, & patientiam ex animo appreco.  
Ceterum gratulor Tibi de studiis ad felicem finem perdu-  
ctis & honoribus mox digne capessendis; gratulor quoque  
**CLARISSIMO PARENTI TVO**, medico ex-  
ercitatissimo, de filio, qui exquisite imaginem parentis re-  
fert, eiusque virtutum hæres est; gratulor denum patriæ,  
quæ industræ Tuæ fructus tandem cum summo fœnore  
percipiet vberrimos. Præpotens Numen ausibus Tuis sem-  
per successus largiatur prosperrimos! Dabam in  
*Frideriana die VIII. mensis Septembr.*

CD IO CC XXXVIII.



Halle, Diss., 1738 H-2

ULB Halle  
003 751 716

3



f

5b.

vD 18

20 bei Fr.-Dr. v. Cieminski  
Leihvertrag 617.2011



**Farbkarte #13**



Q. D. B. V.

DE

6. 1738  
19

12

# SCORBVTI VERA ORIGINE INDOLE AC CVRATIONE

PRAESIDE

ON. D. FRIDERICO HOFFMANNO

SACR. MAI. REG. BORVSS. CONSILIARIO AVLICO  
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

SOLENNI MORE OBTINENDO

H. L. Q. C.

D. SEPTEMBER. M. DCC. XXXVIII.

PVBLICE DISPVTABIT

OANNES MARTINV STRVVIVS

SANGERHVSANO THVRINGVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS JOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

